

Petrus de Vinea

*Ep. V 101 (Cum de
prudentia et fidelitate...*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 101 (Cum de
prudentia et fidelitate...*

1242

Communi ciuitatis eiusdem, ut eidem Potestati pareant et intendant.

1. Cum de prudentia et fidelitate T. de..., fidelis nostri, confisi, ipsum Potestatem uestrum pro anno futuro duximus statuendum, fidelitati uestrae precipiendo mandamus, quatenus eidem T., fideli nostro, in omnibus, quae ad eiusdem potestariae officium spectare noscuntur, pro eodem anno parere et intendere debeatis ad honorem et fidelitatem, tamquam Potestati uestro, a nostra maiestate statuto, debitum et statutum salarium prestituri. 2. Damus enim eidem T. nostris litteris in mandatis, ut ad terram ipsam se conferat personaliter et potestariam eandem ad honorem et fidelitatem nostram prefatum officium debeat fideliter exercere. 3. Iuret nichilominus Statuta ciuitatis eiusdem, et consueto dari predecessoribus suis salario sit contentus.